Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1485
Quelle:
Copyright:

tus, rubricisque distinctus, continet: I. *Job. Wiclefi Sermones de Tempore*, sive Dominicis per annum, auspicando ab Adventu usque ad Dom. XXV. post Pentec. adjunctisque Sermonibus III. *de Dedicatione Ecclesie.* Diversi sunt hi Sermones ab iis, quos *Codd.* CCCC. et CCCLXXXVIII. indicavimus, nec ita mixti, gaudentque Prooemio, quod infit: *Cum Deus vndiquaque plenus abhorret vacuum et abhominatur in creatura sua rationali ocium* &c. et in quo Autor Homiliarium istud suum in *Partes* VI. distribuit. Sermo Dom. I. Adventus in illud: *Cum appropinquasset ihesus ierosolimis et venisset betphage* &c. *Matth.* 21. incipit: *Constat ex ewangelio, quod christus tribus vicibus aduenit humanitus* &c. Neutrum horum initiorum apud *Baleum* legitur, quamvis *Sermones* varios adnotarit. Ad nostrorum calcem habetur: *Expliciunt Ewangelia de tempore M. Jo. Vtinam in omnibus catholica, quod quidem non sunt.* Non sane.

II. *fol.* 134. alia manu: *Incipit moralis exposicio sompnij Regis pharaonis.* Autor *Job. Lemovicensis* dicat *Theobaldo* Regi *Navarrae*, ut pluribus *Cod.* CCCXII. dictum est, quem, si vacat, adi. Exemplar praesens illo paullo correctius. Ad calcem Librarius manum suam Lectori formula *Bohemica* excusat.

III. *fol.* 148. *Iuramentum Alsonis Episcopi Olomucensis factum coram Conrado* (Archiep. Prag.) *in confirmatione sua.* Initium: *Ego A. electus Ecclesie O. promitto et iuro, quod ab hac hora et in antea quamdiu vixero, fidelis et obediens ero beato petro, sancteque Apostolice Romane Ecclesie, ac Concilio Constantiensi, et pape futuro, qui Canonice per Concilium eligetur* &c. Hoc igitur actum est Sede vacante ante Electionem *Martini* V. intra *Aprilem* 1415. et *Novembrem* 1417. et quidem contra *Johannem* Ep. *Lithomisl.* legitime postulatum a Capitulo *Olomuc.* qui et causam suam in Concilio contra *Alsonem* evicit. Erat *Also*, sive *Alexius* Canonicus *Wissebradiensis* favore *Wenceslai* Regis, *Conradi* Archiep. et Factionis Optimatum Hussiticae suffultus, unde mirum, in ejus *Juramento* occurrere Promissa de fideliter tenendis consuetudinibus sanctae Rom. Ecclesiae circa ministrationem Corporis Christi, nullisque circa eam novitatibus faciendis, aut permittendis, de non promovendis ad beneficia, aut sacros Ordines Sectae *Wiclefistarum* suspectis, de Articulis *Wiclefi* et *Hussi* condemnatis non fovendis, nec tolerandis in Dioecesi eorum Doctoribus &c. Ceterum *Formula* iisdem paene verbis concepta est, quae nunc in Episcoporum Promissionibus obtinent. De Lite *Johannis* et *Alsonis* videri possunt *J. Wratisl. Monse Infulae doctae Moraviae* p. 55.

Finem faciunt *fol.* 148. p. 2. Excerpta potissimum e *Jure Can.* Patrum Loca de Cerimoniis, Purgatorio,